

MUSEUM REGIUM,  
SEU  
**CATALOGUS**  
Rerum tam naturalium, quàm  
artificialium,

QVÆ IN BASILICA BIBLIOTHECÆ  
**AUGUSTISSIMI DANICÆ NORVEGIÆq;**  
MONARCHÆ,

**FRIDERICI**  
**QVARTI,**

Havniæ asservantur,  
*GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ REGE,*

**CHRISTIANO QVINTO,**

regnante,  
Ab

**OLIGERO JACOBEO**

Med. & Phil. Prof. Regio

qvondam descriptus,

nunc verò magna ex parte auctior

uberioribusq; commentariis, præsertim autem qvoad

**ANTIQVITATES**


**HISTORIAMQ; NUMISMATUM DANICORUM,**

illustratus,

accurrante

**JOHANNE LAUERENTZEN,**

Affessore Consistorii Havniensis Regio.



**CUM PRIVILEGIO.**

feriore prodeunt, duo verò ex maxillâ superiore ossa rostri perforantes. Dentes reliqui maxillares à porcinis vix differunt. Animal ipsum monstrum porcinum censerî potest, caput enim ferè porcinum habet, corpore tenus canem referens, cujus pedes unguis caprinis sunt muniti. Icon animalis in insula Java anno 1650. depicta juxta cranium hîc appensa visitur. In Insula de Bouro Indiae Orientalis triginta ab Amboina leucis vagari inprimis fertur, magnitudine canis mediocris, colore griseo.

30. CORNUA duo STREPSICEROTIS. Singula longitudinem habent pedum duorum cum dimidio, coloris nigerrimi, quæ ambitu rugarum & velut annulorum à basi ad partem mediam cinguntur, hinc verò lævia ac polita in apicem usq; sensim gracilesunt, in fastigium leve acuminata. Animal, quod cornua hæc gerit, inter capras silvestres *Plinius* recenset lib. 8. c. 51.

31. CORNU RHINOCEROTIS DUPLEX (*Tab. IV. No. 31.*) cujus ramus alter acutior pedum duorum, obtusior alter pedis unius longitudinem habet. Animal, quod cornu gestavit, in vivario Magni Indiae Mogolis trucidatum est, unde cornu hoc rarum, Indiae Orientalis commerciis, nostratis quæ sunt Consortii, Havniam adportatum & Regi Gloriosissimo, CHRISTIANO QVNITO, perquam submissè oblatum huc venit.

32. CORNUA varia RHINOCEROTUM longitudinis diversæ, inter quæ supereminet illud, quod nigerrimi & splendidissimi coloris longitudine sua tres pedes totidemq; pollices æquat. Ex cornibus his spiritus arte Chemicâ potentissimus elicitur, de quo uberius Acta Med. & Phil. Havniensia anno 1674. p. 166. Licet cornua à scribtoribus omnibus vocentur, rectius tamen, Beati Describtoris sententiâ, conii ossi appellanda sunt, cum diversæ à cornibus aliis naturæ è cranio non protuberent, sed in rostri extremitate solida planè & retrò paululum inflexa orientur, alioquin unguis unguisq; & calli omnes duriores etiam cornua dicerentur.

33. CORIUM RHINOCEROTIS. Coloris est cineritii, crassum admodum & rugis variis fulcatum, quod ictui acinacis validissimo facile resistere Scribtores memorant. At *J. Bontius* in Med. Ind. lib. I. cap. 14. nobis affert Rhinocerotem femellam, cujus tergum natesq; Japonico ense feritæ sunt, quamvis nullo sequente sanguinis fluore, dissecta tamen aliqua ex parte cute, strias laticæ & albas apparuisse, testaturq; rugas profundas, quas animal hoc circa latera & in dorso pellis habet, mentiri clypeum, quem scribtores quidam rhinoceroti affinxerunt. Animal ipsum Bengala, Cambaja, Malacca, Sumatra, Siam & regiones aliæ copiosè gignunt. Grunnitu, oculis, auribus, caudâ, rostro, quod tamen acutius est, porcum refert, luto inprimis gaudet, porcinam hæc in parte quoq; indolem ostendens linguam habet asperrimam, quæ hominem simul ac equum, à se prostratum, lambendo necat ac cute & carne usq; ad ossa denudat.

34. DENTES varii HIPPOPOTAMI longitudinis diversæ. Maximus illorum pollicum novem longitudinem vix æquat. Animal ipsum, quod dentibus memoratis instruitur, Nili Ægyptiaci incola est & vastæ admodum molis, quemadmodum farctæ illius exuviae inter rariora Leydensia prope hortum Academicum luculenter evincunt. Phlebotomiæ usum ab animali hoc hausisse olim Medici memorantur, quod obesum jam satietate nimia ac sanguine

N°39.

N°37.

N°31.

